



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Annvs Diervm Memorabilivm Societatis Iesv. Sive
Commentarius quotidianae virtutis, notabilem vnius, vel
plurium in Societate vitâ functorum, virtute quapiam
insignium memoriam in menses diesque ...**

Nádasi, János

Antverpiae, 1665

XXIV. Die Ivnii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9625

XXIV. DIE IUNII.

ANTONIUS P. CAROLVS
DE HENRICIS
COADIUT. SCRIBANIUS.

Italus Ty-
burt. 1602.
ætat 72.
Soc. 48.

Huius, & imago, & vestes, & vir-
tutis memoria viget etiamnum
in Collegio Tyburtino; quod
illum tumbâ condidit, & ei hoc elo-
gium dedit: Ossa fratris nostri An-
tonij de Henricis à Monte Ferrato Co-
adiutoris temporalis insigni pierate
Viri, qui Collegium hoc Tyburrinum,
in quo fuerat tempore B. Patris nostri
Ignatij constitutus, perpetuo vsque ad
obitum incoluit, eiusque inopiam sum-
mis suis laboribus, & corrogatis plu-
rimis eleemosynis subleuauit. Sanctæ
paupertatis, & obedientiæ studium,
humilitas, patientia, orationis feruor
penè assiduus, & caritas in cæteris eius
virtutibus eminebant. Demum ma-
gnâ domi, forisq; opinione sanctira-
tis relictâ piè obiit in Domino: sepul-
tusque est postridiè miro affluentis
populi concursu: cum etiam plurimi
sibi vestes capillosque sacrarum reli-
quiarum instar auferrent. Plures aie-
bant, suam sospiratem Antonij preci-
bus se debere. Paruulæ septem annos
nata, à qua in platea salutabatur, fel-
licem breui mortem ex vero prædixit,
idque post 4. dies euenit. Anno 1601.
4. Nonas Martij pleuritide prostratus,
& iam extremum vnctus à P. Mario
Franeo Rectore interrogatus est; quos
adhuc annos vitæ sibi polliceretur?
Cunctatus respondit tandem, vt pare-
ret: Paulò plus quàm 15. mensibus se
victurum. Et prædictioni respondit
eius vita, & mors.

Oratio.

Mors.

Magnifici, constantis, erecti ad
magna, liberalisque, sed religio-
si, animi vir, pecuniæ summam ma-
gnam vrgenti cum nihil haberet, quod
daret, se in preces dedit; ac petentem
idem, vt ageret monuit, & vesperi
eadem die tantumdem pecuniæ ab
ignara eius necessitatis persona sub-
missum est quantum petebatur; quo
viso Carolus, En, inquit precum no-
strarum fructum. Aulæ, ac honoribus,
vt idoneus, ita eorum fugitans. Dei-
paræ corollam semper gerebat è collo
cum lipsanis. Peccata Sacramento
quotidie semel & aliquando iterum,
expiabat, sæpè inter sacrificandum la-
chrymans, atque singultiens. Cubicu-
lo egressurus, pedes Aspriollensis sta-
tuæ B. V. osculabatur; & id ad quod
exibat negotium illi commendabat.
Cum Antuerpiæ præfesset, egros in Pro-
uincia ad se mitti petebat, eoque aman-
tissime liberalissimeq; habebat. Paucis
ante mortè diebus P. Philippo Bultinck
Mechliniam eunti, Eia, inquit, Pater,
simul in cælum proficisci debemus,
Nunciatâ P. Scribani morte P. Philip-
pus quid ab illo sibi dictum esset nar-
rans, breui concidit; & non nisi ex-
tremâ vnctione munitus obiit. Illu-
stri fœminæ prædixit fore, vt breui
vterque eriperetur è vitæ ærumnis; se
ante illam sex hebdomadis præcessu-
rum. Et illa sextâ omninò hebdomadâ
exeunte obiit post Caroli nostri mor-
tem.

Belga Ant-
uerpia. 14.
Iunij 63.
ætat. 69.

Oratio.

Conf. quæ

B. V.

Charitas
Superior

Mors.

XXV. DIE